

bulae humanae et serenetur ad verbum Dei. Non ergo recusetur labor, si adest amor: notis enim, quoniam qui amat non laborat. Omnis enim labor non amantibus gravis est. Si tantos labores cum avaris portat cupiditas, nobiscum non portat charitas?

2438 *Evangelium intendite: Facta sunt autem Encaenia in Ierosolymis.* Encaenia festivitas erat dedicationis templi. Graece enim *ἐγκαenia* dicitur novum. Quando cumque novum aliquid fuerit dedicatum, Encaenia vocantur. Iam et usus habet hoc verbum: si quis nova tunica induatur, encanari dicitur. Illum enim diem, quo templum dedicatum est, Iudaei solemniter celebrabant: ipse dies festus agebatur, cum ea quae lecta sunt, locutus est Dominus.

2439 *Hyems erat. Et ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis. Circumderunt ergo eum Iudaei et dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam* (IOANN. x, 23, 24). Non veritatem desiderabant, sed calumniam praeparabant. *Hyems erat*, et frigidum erat: ad illum enim divinum ignem accedere pigri erant. Sed accedere est credere: qui credit, accedit; qui negat, recedit. Non movetur anima pedibus, sed affectibus. Friguerant a diligendi charitate, et ardebant nocendi cupiditate. Longe aberant, et ibi erant: non accedebant credendo, et premebant persequendo. Querebant audire a Domino: Ego sum Christus; et fortasse de Christo secundum hominem sapiebant. Praedicaverunt prophetae Christum: sed divinitatem Christi et in prophetis et in ipso Evangelio nec haeretici intelligunt: quanto minus Iudaei, quamdiu velamen est super cor eorum? (II COR. III, 15). Denique quodam loco sciens Dominus Iesus eos de Christo secundum hominem sapere, non secundum Deum, secundum

id quod homo erat, non secundum id quod Deus etiam assumpto homine permanebat, ait illis: *Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est?* Responderunt secundum opinionem suam: *David* (MATTH. XXII, 42 ss.). Sic enim legerant, et hoc solum tenebant; quia divinitatem eius legebant, sed non intelligebant. Dominus autem ut eos suspenderet ad quaerendam eius divinitatem, cuius contemnebant infirmitatem, respondit eis: *Quomodo ergo David in spiritu dicit eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis? Si ergo David in spiritu dicit eum Dominum, quomodo filius eius est?* Non negavit, sed interrogavit. Ne quis hoc cum audierit, putet quod Dominus Iesus negaverit se filium esse David. Filium David Dominus Christus si se negaret, caecos sic eum invocantes non illuminaret. Transibat enim aliquando, et duo caeci sedentes iuxta viam clamaverunt: *Miserere nostri, fili David* (MATTH. XX, 30). Qua voce audita, misertus est: stetit, sanavit, lumen dedit; quia nomen agnovit. Dicit et apostolus Paulus: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (ROM. I, 3); et ad Timotheum: *Memor esto Iesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum Evangelium meum* (II TIM. II, 8). Quia de semine David originem Maria virgo ducebat, inde Dominus de semine David.

Hoc pro magno Iudaei a Christo quaerebant, ut si diceret: Ego sum Christus, secundum quod illi solum sapiebant de semine David, calumniarentur quod sibi arrogaret regiam potestatem. Plus est quod eis respondit; illi de filio David volebant calumniari, ille Filium Dei se esse respondit. Et quomodo? *Audite: Respondit eis Iesus: Loquor vobis, et non creditis; opera quae ego facio*

in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me: sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis (IOANN. X, 25, 26). Iam supra didicistis (tr. 45, n. 9, ss.), quae sint oves: estote oves. Oves credendo sunt, oves pastorem sequendo sunt, oves redemptorem non contemnendo sunt, oves per ostium intrando sunt, oves exeundo et pascua inveniando sunt, oves vita aeterna perfuendo sunt. Quomodo ergo istis dixit: *Non estis ex ovibus meis?* Quia videbat eos ad sempiternum interitum praedestinos, non ad vitam aeternam sui sanguinis pretio comparatos.

2441 *Oves meae vocem meam audiunt, et cognosco eas, et sequuntur me: Et ego vitam aeternam do eis* (IOANN. X, 27, 28). Ecce sunt pascua. Si recolitis, superius dixerat: *Et ingreditur, et egreditur, et pascua inveniet* (Ibid. IX). Ingressi sumus credendo, egredimur moriendo. Sed quomodo per ostium fidei ingressi sumus, sic fideles de corpore exeamus: sic enim per ipsum ostium egredimur, ut pascua invenire possimus. Bona pascua, vita aeterna dicitur: ibi nulla herba arescit, totum viret, totum viget. Solet quaedam herba dici semper viva: ibi solum vivere invenitur. *Vitam aeternam, inquit dabo eis, ovibus meis.* Vos calumnias propterea quaeritis, quia de vita praesentis cogitatis.

2442 *Et non peribunt in aeternum* (Ibid. 28): subaudis, tamquam eis dixerit, Vos peribitis in aeternum, quia non estis ex ovibus meis. *Non rapiet eas quisquam de manu mea.* Intentius accipite: *Pater meus quod dedit mihi, maius est omnibus.* Quid potest lupus? quid potest fur et latro? Non perdunt nisi ad interitum praedestinos. De illis autem ovibus, de quibus dicit Apostolus: *Novit Dominus qui sunt eius* (II TIM. II, 19); et, *Quos praescivit, ipsos et praedestinavit;*

quos autem praedestinavit, ipsos et vocavit; quos autem vocavit, illos et iustificavit; quos autem iustificavit, ipsos et glorificavit (ROM. VIII, 29, 30): de ovibus istis nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit. Securus est de numero earum, qui pro eis novit quod dedit. Et hoc est quod ait: *Non rapiet eas quisquam de manu mea;* et item ad Patrem: *Pater meus quod dedit mihi, maius est omnibus.* Quid dedit Filio Pater maius omnibus? Ut ipse illi esset unigenitus Filius. Quid est ergo dedit? Iam erat cui daret, a gignendo dedit? Nam si erat cui daret ut Filius esset, aliquando erat et Filius non erat. Absit ut aliquando Dominus Christus fuerit, et Filius non fuerit. De nobis hoc dici potest: aliquando filii hominum eramus, filii Dei non eramus. Nos enim filios Dei gratia fecit, illum natura, quia ita natus est. Et non est ut dicas: Non erat antequam natus erat: numquam enim non natus erat, qui Patri coaeternus erat. Qui sapit capiat, qui non capiat credat, nutriatur et capiet. Verbum Dei semper cum Patre, et semper Verbum: et quia Verbum, ideo Filius. Semper ergo Filius, et semper aequalis. Non enim crescendo, sed nascendo aequalis est, qui semper natus est de Patre Filius, de Deo Deus, de aeterno coaeternus. Pater autem non de Filio Deus: Filius de Patre Deus; ideo Pater Filio gignendo dedit ut Deus esset, gignendo dedit ut sibi coaeternus esset, gignendo dedit ut aequalis esset. Hoc est quod maius est omnibus. Quomodo vita Filii, et habens vitam Filii? Quod habet hoc est: tu aliud es, aliud habes. Verbi gratia, habes sapientiam: numquid tu es ipsa sapientia? Denique quia non es tu ipse quod habes, si amiseris quod habes, redis ut non habeas: et aliquando resumis, aliquando amittis. Quomodo oculus noster

non in se ipso habet inseparabiliter lucem, aperitur et capit, clauditur et amittit. Non sic est Deus Dei Filius, non sic est Verbum Patris: non sic est Verbum, quod non sonando transit, sed nascendo manet. Sic habet sapientiam, ut ipse sit sapientia, faciatque sapientes: sic habet vitam, ut sit ipse vita, faciatque viventes. Hoc est quod maius est omnibus. Attendit Ioannes ipse evangelista coelum et terram, volens dicere de Filio Dei; attendit et transcendit. Cogitavit supra coelum millia exercitus angelorum, cogitavit et transcendit universam, sicut aquila nubes, sic sua mente creaturam: transcendit magna omnia, pervenit ad illud, quod maius est omnibus, et dixit: *In principio erat Verbum* (IOANN. I, 1). Sed quia ille cuius est Verbum non est de Verbo, Verbum autem de illo est cuius est Verbum; ideo ait: *Quod dedit mihi Pater*, id est; ut sim Verbum eius, ut sim unigenitus Filius eius, ut sim splendor lucis eius, *manus est omnibus*. Ideo, *Nemo rapit, inquit, oves meas de manu mea. Nemo potest rapere de manu Patris mei*.

2443 *De manu mea et de manu Patris mei:* quid est hoc, *Nemo rapit de manu mea*, et, *Nemo rapit de manu Patris mei*? Utrum una manus est Patris et Filii, an forte ipse Filius manus est Patris sui? Si manum intelligamus potestatem, una est Patris et Filii potestas; quia una est divinitas; si autem manum intelligamus sicut dictum est per prophetam, *Et brachium Domini cui revelatum est* (Is. LIII, 1), manus Patris ipse est Filius. Quod non ita dictum est, tamquam Deus habeat humanam formam et quasi corporis membra: sed quod per ipsum facta sunt omnia. Nam solent et homines dicere manus suas esse alios homines, per quos faciunt quod volunt. Aliquando et ipsum opus hominis manus hominis dicitur,

quod fit per manum: sicut dicitur quisque agnoscere manum suam, cum id quod scripsit agnoscat. Cum ergo multis modis etiam hominis dicatur manus, qui proprie manum habet in sui corporis membris: quanto magis non uno modo intelligendum est, cum legitur manus Dei, cui forma corporis nulla est? Ac per hoc melius hoc loco manum Patris et Filii intelligimus potestatem Patris et Filii; ne forte cum hic manum Patris ipsum Filium dictum acceperimus, incipiat carnalis cogitatio etiam ipsius Filii quaerere Filium, quem similiter credat Christi manum. Ergo *Nemo rapit de manu Patris mei*, hoc est, *Nemo rapit mihi*.

Sed ne forte adhuc titubes, audi quid 2444 sequitur: *Ego et Pater unum sumus*. Huc usque Iudaei tolerare potuerunt; audierunt: *Ego et Pater unum sumus* (IOANN. X, 30), et non pertulerunt, et more suo duri ad lapides cucurrerunt. *Tulerunt lapides, ut lapidarent eum*, Dominus quia non patiebatur quod nolebat pati, et non est passus nisi quod voluit pati, adhuc eos lapidare cupientes alloquitur. *Sustulerunt lapides Iudaei ut lapidarent illum. Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Et illi responderunt: de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum*. Ad illud hoc responderunt quod dixerat: *Ego et Pater unum sumus*. Ecce Iudaei intellexerunt, quod non intelligunt Ariani. Ideo enim irati sunt, quoniam senserunt non posse dici: *Ego et Pater unum sumus*, nisi ubi aequalitas est Patris et Filii.

2445 Dominus autem videte quid responderit tardis. Vidit eos non ferre splendorem veritatis, et cum temperavit in verbis. *Nonne scriptum est in lege ve-*

stra, id est, vobis data, Quia ego dixi, dii estis? Deus dicit per Prophetam in Psalmo hominibus: Ego dixi dii estis. (PSAL. LXXXI, 6). Et legem appellavit Dominus generaliter omnes illas Scripturas: quamvis alibi specialiter dicat legem, a prophetis eam distinguens, sicut est: *Lex et Prophetiae usque ad Ioannem* (LUC. XV, 16); et, *In his duobus praeceptis tota Lex pendet et Prophetiae*. Aliquando autem in tria distribuit easdem Scripturas, ubi ait: *Oportebat impleri omnia quae scripta sunt in Legge et Prophetis et Psalmis de me* (LUC. XXIV, 44). Nunc vero Psalmos etiam Legis nomine nuncupavit, ubi scriptum est: *Ego dixi, dii estis. Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis quia blasphemus, quia dixi, Filius Dei sum?* (IOANN. X, 35, 36). Si sermo Dei factus est ad homines ut dicerentur dii, ipsum Verbum Dei, quod est apud Deum, quomodo non est Deus? Si per sermonem Dei fiunt homines dii, si participando fiunt dii, unde participant non est Deus? Si lumina illuminata dii sunt, lumen quod illuminat non est Deus? Si calcfacti quodammodo igne salutari dii efficiuntur, unde calefiunt non est Deus? Accedis ad lumen et illuminaris, et inter filios Dei numeraris; si recedis a lumine, obscuraris et in tenebris computaris; illud tamen lumen nec accedit ad se, quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum. Ad illud hoc responderunt quod dixerat: *Ego et Pater unum sumus*. Ecce Iudaei intellexerunt, quod non intelligunt Ariani. Ideo enim irati sunt, quoniam senserunt non posse dici: *Ego et Pater unum sumus*, nisi ubi aequalitas est Patris et Filii.

quomodo dicimus Deo Patri: *Sanctificetur nomen tuum?*

2446 *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere: si autem facio, et si mihi non cultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia in me est Pater et ego in illo* (IOANN. X, 37). Non sic dicit Filius, in me est Pater, et ego in illo, quomodo possunt homines dicere. Si enim bene cogitemus, in Deo sumus; et si bene vivamus, Deus in nobis est: fideles participantes eius gratiam, illuminati ab ipso, in illo sumus et ipse in nobis. Sed non sic unigenitus Filius: ille in Patre et Pater in illo, tamquam aequalis in eo cui est aequalis. Denique nos aliquando possumus dicere: In Deo sumus et Deus in nobis: Ego et Deus unum sumus, numquid possumus dicere? In Deo es, quia Deus te continet; Deus est in te, quia templum Dei factus es: sed numquid quia in Deo es et Deus est in te, potes dicere: Qui me videt, Deum videt, quomodo Unigenitus dixit: *Qui me vidit, vidit et Patrem* (IOANN. XIV, 9); et, *Ego et Pater unum sumus?* Agnosce proprium Domini, et munus servi. Proprium Domini, est aequalitas Patris: munus servi, est participatio Salvatoris.

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENENSIS, VOL. II, SERM. 56).

2447 TERTIO subdamus alios tres fructus. Primum fructus dicitur pulchritudo, scilicet, stupendorum verborum Christi; unde dicitur in figura praedicta: *Filia eius pulcherrima*, id est, verba eius admiranda pulchritudine decorata, et maxime quae dixit in cruce, scilicet, quando erat in illo aestu amoris, et cruciatus; unde Psal. ait, *Psal. I: Et folium eius non defuit*, id est, verbum eius deorsum non fuit. Quatuor enim admiranda protulit Iesus in quolibet verbo suo. Primum fuit admirandus amor; secundum fuit admirandus dolor; tertium fuit admirandus vigor; quartum fuit admirandus dulcor, sive gaudium. Et possunt quatuor pulchritudines septem verborum Christi denominari.

2448 Prima inquam fuit pulchritudo amoris; fuerunt enim verba quae Christus dixit in cruce expressiva immensi amoris, ut merito dici possint septem amores, seu etiam flammae in fornice cordis; et hoc iuxta septiformem eius actum ordinate procedentem secundum formam verborum Christi. Primus vero amor fuit mirae remissionis; secundus mirae confederationis; tertius mirae donationis; quartus mirae expositionis; quintus mirae attractionis; sextus mirae consummationis; septimus mirae reductionis.

2449 Primus fuit amor mirae remissionis, scilicet, offensus, atque mirae intercessionis, et satisfactionis pro inimicis; et hoc exponit primum verbum, quia pro crucifixoribus, dum eam crucifigebat, deprecatus est, dicens, Luc. xxiii: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt*; unde suo blandicus Genitori, non solum indulget sibi, sed et intercessor, et excusator extitit, inquantum fas fuit, delicti eorum, ideo inquit: *Nesciunt quid faciunt*.

2450 Secundus fuit mirae confederationis, scilicet, amorum, quibus imprimit materna viscera, et reverentiam filialem, sicut Christus fecit inter Matrem suam, et Ioannem quando, ipsis a principio stantibus iuxta crucem, dixit Matri suae, Ioann. xii: *Mulier, ecce Filius tuus*, Ioanni vero: *Ecce Mater tua*. Et quod ex hoc perfecta fuerit inter Matrem suam, et Ioannem talis unio, ostendit ille Ioannes subdens: *Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam*. In quo partim impleta, et partim figurata fuit vis unitiva amoris in cruce pendens et matris; terrimens quidem, est amor matris ad filium, et converso.

2451 Tertius fuit amor mirae donationis; nam per amorem illum omnia dona gratiarum, et praeniorum fidelibus dantur, sicut optime exprimitur in tertio verbo Latroni dicto, Luc. xxiii, ubi ait: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso*. Ubi considerare potes, quantum dilexit eum, si ponderas septem. Primo, quomodo ei regnum coelorum promittit, scilicet, cum iuramento, dicens: *Amen*; secundo, quia promittit, quom subdit *dico*; tertio, cui promittit, scilicet, Latroni, dicens: *tibi*; quarto, quando promittit, dicens: *hodie*; quinto, cum quo promittit, dicens: *mecum*; sexto, qualiter promittit, dicens: *eris*; septimo, quid promittit, dicens: *In Paradiso*. In quolibet enim verbo resonat admirabilis amor Christi erga latrocinans genus humanum.

2452 Quartus fuit amor mirae expositionis, scilicet, sui tam pro amicis, quam pro inimicis, pro quibus tantum omni morti, et confusioni exposuit se, ut merito, Psal. xxi, clamaverit dicens: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* hoc autem dixit postquam tenebrae factae erant, et circa ho-

ram nonam; et quum unam derelictio, et expositio sit Patris, et Filii; quare non fuit aliud dicere Patri, quam, *ut quid ergo sic me dereliquisti*, scilicet, ad tam horribile genus mortis pro sic impiis, et ingratis; et quia hic stupor admirationis nulli menti comprehensibilis est; ideo in hoc verbo fortissime exclamasse dicitur. Et vere nullam causam habuit, nisi suum amorem de quo Ioann. iii, ait: *Oportet exaltari Filium hominis, sicut exaltatus fuit serpens in deserto*; et pro ratione subiungitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*.

2453 Quintus fuit amor mirae attractionis; in cuius mysterium dixit: *Sitio*, Ioann. xix. Quod verbum circa finem dixit, et post verbum aliud praemisum; nam inter clamorem illum: *Heli, Heli*, et donationem acet, interpositum est hoc verbum: *Sitio*. Licet enim Christus ad lateram in summo sitiret, tamquam sanguine, et corporis humore exhausto; potius tamen hoc propter mysterium dixit, quam propter corporalem sitim, aut potum. Nam clare scivit, quod non nisi potum impotabilem sibi darent, atque noverat ferre sitim, voluit ergo experire quod sicut sitibundus vehementissime appetit vinum usque ad intima absorbere, sic ipse appetebat animas, eorumque affectus sibi ex amore inviscerare, et ad intima cordis sui venias, et arcana gloriae delectabiliter intrudere; proinde, ut supra putavit, Ioann. xxi, inquit: *Ego si caritatis fuero a terra omnia traham ad meipsum*. Voluit ergo in hoc verbo nobis suum ardens desiderium revelare, dicens: *Sitio*; ut per hoc nobis ostenderet quod nos amplius amabat, quam opere demonstraret. Nam licet pro nobis moriendo ostenderet nobis perfectionem amorem, quam ostendere posse; tamen quia opus, et actus ille quodammodo finitus erat, nec ostendere poterat per hoc finitum opus amorem suum ad nos infinitum se insinuare: *Sitio*, ait quasi dicat, per infinitum verbum infinitum amorem vobis ostendo.

2454 Sextus fuit amor mirae consummationis; nam in cordialibus affectionibus, et in amorosis sermonibus, necnon et extrinsecis actibus, et operibus suae peregrinationis, et mortis consummatus est omnis modus perfecti amoris; quia, sicut I Tim. i, Apostol. ait: *Finis praecepti est caritas*, et potissime caritas crucis; unde Ioann. xv, Christus ait: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*; proinde Ioann. xix, dicitur: *Consummatum est*.

2455 Septimus fuit amor mirae reductionis, scilicet, omnium in idipsum Deum; nam per crucem Christi levatum fuit signum in nationes ad congregandos profugos Israel, ut dicitur Is. xi: *Mortuus est enim, ut filios Dei, qui erant dispersi, congrega-*

ret in unum, ut dicitur Ioann. xi; quia haec est finis ultimus omnium, ut sit Deus in omnibus. Idcirco cum clamore valido reddens spiritum Deo Patri, dixit: *In manus tuas commendo spiritum meum*, sicut dicitur Luc. xxiii. In quo omnium electorum suorum spiritum causaliter, et exemplariter commendavit, et reddidit Deo Patri: ut aperte clarescat quod ille qui exivit a Patre, et venit in mundum, tamquam hamus piscationis paternae, et tamquam sagena charitatis latissimae, in mari huius saeculi a divinitate iactata, ad litus reductor paterni pectoris cum plenitudine omnium electorum, unde nihil de suo extra se reliquit quum de hoc mundo egressus est.

2456 Secunda autem fuit pulchritudo doloris; fuerunt enim praedicta Christi verba expressiva summi doloris et crucis, unde septem dolores Christus expressit in praedictis verbis. Primus fuit dolor ingratitudinis; secundus desolationis; tertius dispersionis; quartus derelictionis; quintus potationis; sextus multiplicationis; septimus separationis. Primus fuit dolor ingratitudinis, dum dignitas suae personae, et acerbitas illati supplicii, et tam ferventissima charitas cordis sui ab omnibus ignominabatur et tam ingratis recipiebatur; et hoc innuit primum verbum quo ait: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt*. Secundus fuit dolor tribulationis, et desolationis et hoc tam praesentium, quam futurorum, designatorum in Matre, et in Ioanne: propterea dicit secundum verbum: *Mulier, ecce Filius tuus*; deinde dicit Discipulo: *Ecce Mater tua*. Tertius fuit dolor dispersionis, scilicet, compugnantium, cernens omnium Apostolorum, et aliorum ab eo conversorum paucitatem contra eius summas desperationes contra quas solus latro legitur pugnasse in cruce, increpans sinistram latronem; ex quo dolore Christus magis motus est ad miserandum Latroni, dicens: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso*. Quartus fuit dolor derelictionis, et hoc exprimit quartum verbum, quo ait: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quintus fuit dolor potationis, scilicet, amarae factae nimium siti-bando salutis nostrae, loco cuius offerimus offensas horrendas, atque contemptus; et haec angustatio fuit desiderii cum oppositione contrarii. Ipse enim sitiebat dulcedinem animarum; at illi oppositum ei obtulerunt, quando dixit: *Sitio*. Sextus fuit dolor multiplicationis, scilicet, tam dolorum mentalium, quam poenarum corporalium cum perduratione usque in finem, ut merito dixerit: *Consummatum est*, scilicet, in me omne tormentum, et omnis poena. Septimus fuit dolor separationis animae a corpore; proinde commendat spiritum virtuti paternae, quum ultimo ait: *In manus tuas commendo spiritum meum*.

2457 Tertia vero fuit pulchritudo vigoris; nam fuerunt praedicta Christi verba expressiva summi vigoris, scilicet, constantiae, et virtutis. Licet enim eius Passio esset summa, ipse nihilominus summe superferbatur doloribus suis virtute, atque vigore suo; proinde septem vigores fuerunt in praedictis verbis. Primus fuit vigor mediatoris; secundus sollicitatoris; tertius dominatoris; quartus allegatoris; quintus desideratoris; sextus triumphatoris; septimus reductoris.

2458 Primus inquam fuit vigor mediatoris, quia in primo verbo ostendit se esse medium inter nos, et Deum, tamquam summi Dei Filium, et tamquam intercessorem, et advocatum nostrum dicens: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt*. In quo manifeste apparet vigor suae mentis, quo erudium persecutorum suorum iniurias victorialis superatus, eas calcans, et pro nihilo ducens, sic excessive remisit.

2459 Secundus autem fuit vigor sollicitatoris, et proinde sollicitudinis, atque sedulitatis. Solent enim mente contentari et doloribus oppressi omnino deficere ab omni providentia. Christus autem tunc solum, et non alibi legitur curam habuisse de Matre, et providisse sibi de Filio, et curatore qui gereret curam eius, dicens: *Mulier, ecce Filius tuus*; et discipulo: *Ecce Mater tua*.

2460 Tertius fuit vigor dominatoris, quia ostendit se habere virtutem dominativae potestatis, et regnativae, et imperialis securitatis; unde tamquam Rex et Dominus Paradisi, illi Latroni cum tot circumstantiis reppromisit, dicens: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso*.

2461 Quartus fuit vigor allegatoris, scilicet, suae iustitiae et innocentiae ad Patrem suum; in cuius signum quasi admirative ait: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Iusti autem ab aliquo cruciati dicere solent: *ut quid mihi hoc facis?* consilium autem magnorum scelerum suorum, suo potius interiori remorso confuso, longe alium modum tenent; et si proaciter plerumque aliquid tale dicunt, vix est quod signa illius procaeciae in ipsis facilius comprehendantur.

2462 Quintus fuit vigor desideratoris; nam ostendit se habere fiducialitatem, et constantiam serene expressionis propriae indigentiae, atque proprii desiderii, dicens: *Sitio*. Solent etiam homines praecipue in hora tantae abiectionis erubescere, et ex erubescencia non audere, nec posse clare confiteri indigentias suas; Christus vero etiam circa exitum mortis eius cum quadam maturissima serenitate, atque fiducialitate dixit: *Sitio*. Ostendit etiam in hoc victoriosissimum omnium suarum passionum triumphum; quia non solum non succumbit mortis doloribus quo suscepit;

sed etiam pro divino honore, et pro nostra salute, si necessarium extitisset amplius pati, sibi se dicit.

2463 Sextus fuit vigor triumphatoris, ac triumphalis debellatoris hostium, scilicet, diaboli, peccati, Paradisi, et inferni, sicut supra in quarto fructu ostensum est. Insuper in eo fuit vigor universalis consummatoris omnium operum suorum, immo et simpliciter omnium; propter quod dicit, *Consummatum est.*

2464 Septimus fuit vigor reductoris, et plene fiducialitatis in Patre, et securi ad Deum reditus; et mortem suam non habere pro defectu, sed pro profectu, et roditu; propter quod ait: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Notanter advertit quod non dicit, tibi commendo, sed in manus tuas commendo; ut ostenderet sibi Patrem adesse quasi dilatatis brachiis, et extensis manibus ad ipsam amplexandum, et adstringendum, tanquam Filium unigenitum, et praedilectum.

2465 Quarta autem fuit pulchritudo dulcoris; fuerunt enim praedicta Christi verba expressiva magni dulcoris, et complacentiae, quia omnia praedicta voluntarie patiebatur, unde Is. lxxi ait: *Oblatus est, quia voluit;* unde Propheta in persona Domini ad Patrem ait: *Voluntarie sacrificabo tibi;* et iterum ad Ephes. v: *Tradidit semetipsum pro nobis.* Nam si involuntarie sustinisset, non fuisset etiam pro se meritoria sua poena, nedum pro nobis omnibus; et de hoc plenus in principio huius sermonis dictum est.

2466 Tripliciter ergo voluntarie laetabatur. Primo de quolibet amore osteno in praedictis septem verbis; secundo de quolibet dolore praedictorum septem verborum; tertio laetabatur de quolibet septem illorum vigorum. Ita ad quemlibet amorem, ad quemlibet dolorem, ad quemlibet vigorem omnium praedictorum suorum voluntarium, et iucundum aspectum habebat, quae causa brevitatis omitto. Et etiam quia perspicaciter intuiti satis patere possunt per singula triplicis septenarii discurrendo.

2467 Vides ergo pulchritudinem septem verborum. Non immerito ergo de ligno, quod est sanctissima crux, Apocal. xxii scriptum est: *Folia eius ad sanantem gentium;* quia ipsa eius gustantibus sensum, ad sanitatem sunt omnium spiritualiter infirmorum; nec tantum verba illius sunt sanativa praedictarum infirmitatum, verum etiam particularia facta sua ad nostram sanitatem pro nobis in se assumpsit. Nam primo curavit nos per dictam, quando ieiunabat quadraginta diebus, et quadraginta noctibus; secundo per electuaria, quando Corpus et Sanguinem suum dedit in sancta Coena discipulis suis; tertio per sudorem, quando

factus est sudor eius, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram; quarto per minutionem, quando flagellis, et lancea vulneratus fuit; quinto per potationem, quando gustavit acetum cum felle mixtum; sexto per emplastrum, quando facies eius sputis illita est.

FERIA QUINTA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.
Luc. VII, 36-50.

In illo tempore: Rogabat Iesum quidam de pharisaeis ut manducaret cum illo. Et ingressus domum pharisaei discubuit.

37. Et ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubisset in domo pharisaei, attulit alabastrum unguenti:

38. et stans retro secus pedes eius, lacrymis coepit rigare pedes eius, et capillis capitis sui tergebatur, et osculabatur pedes eius, et unguento ungebatur.

39. Videns autem pharisaeus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens: Hic si esset propheta, sciret utique, quae, et qualis est mulier, quae tangit eum: quia peccatrix est.

40. Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic.

41. Duo debitores erant cuidam foeneratori: unus debebat denarios quingentos, et alius quingenta.

42. Non habentibus illis unde redderent donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit?

43. Respondens Simon dixit: Aestimo quia is, cui plus donavit. At ille dixit ei: Recte iudicasti.

44. Et conversus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intra vi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: haec autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit.

45. Osculum mihi non dedisti: haec autem ex quo intra vi, non cessavit osculari pedes meos.

46. Oleo caput meum non unxisti: haec autem unguento unxit pedes meos.

47. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.

48. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata.

49. Et coeperant qui simul accubebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?

50. Dixit autem ad mulierem: Fides tua te salvam fecit: vade in pace.

HOMILIA S. GREGORII PAPAЕ.

HOMILIA XXXIII. IN EVANGELIO. *Habita ad populum in basilica sancti Clementis feria sexta quatuor temporum Septembris.*

COGITANTI mihi de Mariae poenitentia, flere magis libet, quam aliquid dicere. Cuius enim vel saeulum pectus illae huius peccatricis lacrymae ad exemplum poenitendi non emolliant? Consideravit namque quid

fecit, et noluit moderari: quid faceret. Super convivantes ingressa est, non iussa venit, inter epulas lacrymas obtulit. Discite quo dolore ardet, quae flere et inter epulas non erubescit. Hanc vero quam Lucas peccatricem mulierem, Ioannes Mariam nominat, illam esse Mariam credimus, de qua Marcus septem daemonia eiecta fuisse testatur. Et quid per septem daemonia, nisi universa vitia designantur? Quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, recte septenario numero universitas figuratur. Septem ergo daemonia Maria habuit, quae universis vitis plena fuit. Sed ecce, quia turpitudinis suae maculas aspexit, lavanda ad fontem misericordiae cucurrit, convivantes non erubuit. Nam quia semetipsam graviter erubescere intus, nihil esse credidit quod verecundaretur foris. Quid ergo miramur, fratres, Mariam venientem, an Dominum suscipientem? Suscipientem dicam, an trahentem? dicam melius, trahentem et suscipientem: quia nimirum ipse eam per misericordiam traxit intus, qui per mansuetudinem suscepit foris. Sed iam textum sancti Evangelii percurrentes, ipsam quoque ordinem quo venerit sananda, videamus.

2469 *Attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes Iesu, lacrymis coepit rigare pedes eius, et capillis capitis sui tergebatur, et osculabatur pedes eius, et unguento ungebatur.* Liqueat, fratres, quod illicitis actibus prius mulier intenta, unguentum sibi pro odore suae carnis adhibuit. Quod ergo sibi turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat: sed hos iam per poenitentiam conterens flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat: sed iam capillis lacrymas tergebatur. Ore superba dixerat: sed pedes Domini oscu-

lans, hoc in Redemptoris sui vestigia figebatur. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta. Convertit ad virtutum numerum criminum: ut totum serviret Deo in poenitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa.

Sed hoc pharisaeus intuenti despexit, et non solum venientem peccatricem mulierem, sed etiam suscipientem Dominum reprehendit, dicens intra se: *Hic si esset Propheta, sciret utique, quae et qualis est mulier quae tangit eum: quia peccatrix est.* Ecce pharisaeus veraciter apud se superbus, et fallaciter iustus, aegram reprehendit de aegritudine, medicum de subventionem, qui ipse quoque de elationis vulnere aegrotabat, et ignorabat. Inter duos autem aegros medicus aderat: sed unus aeger in febre integrum sensum tenebat, alter vero in febre carnis et sensum perdidit mentis. Illa quippe flebat quod fecerat: pharisaeus autem de falsa iustitia elatus, vim suae invalutudinis exaggerabat. In aegritudine ergo et sensum perdidit, qui hoc ipsum quoque quod a salute longe esset, ignorabat. Sed inter haec nos gemitus cogit, quosdam nostri ordinis viros intueri, qui sacerdotali officio praediti, si quid fortasse iuste exterius vel tenuiter egerint, protinus subiectos despiciunt, et peccatores quoque in plebe positos dedignantur, eisque compati culpam suam confitentibus nolunt, ac velut pharisaei more, a peccatrice muliere tangi despiciunt. Quae profecto mulier, si ad pharisaei pedes venisset, nimirum calcibus repulsa discederet. Inquinari enim se alieno peccato crederet. Sed quia hunc vera iustitia non replebat, de alieno vulnere aegrotabat. Unde semper necesse est, ut cum peccatores quosque conspicimus, nosmetipsos prius

in illorum calamitate defleamus: quia fortasse in similibus aut lapsi sumus, aut labi possumus, si lapsi non sumus. Et si censura magisterii debet semper virtute disciplinae vitia persequi, oportet tamen ut sollicitè discernamus, quia distractionem debemus vitii, compassionem naturae. Si enim feriendus est peccator, nutriendus est proximus. Cum vero iam per poenitentiam percuit ipse quod fecit, iam noster proximus peccator non est: quia cum Dei se iustitia contra se dirigit, et hoc in se punit, quod iustitia divina reprehendit.

2471 Sed iam iste superbus et arrogans qua sententia convincatur audiamus. De duobus quippe ei debitoribus paradigma opponitur, quorum unus minus, et alius amplius debet: utrumque debito dimisso, quis amplius largitorem debiti diligit, interrogatur. Quibus verbis protinus ille respondit: *Ille plus diligit, cui plus dimittitur*. Qua in re notandum est, quia dum sua sententia pharisaeus convincitur, quasi phreneticus funem portat ex quo ligetur. Enumerantur ei bona peccatricis: enumerantur mala falsi iusti, cum dicitur: *Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: haec autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: haec autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti: haec autem unguento unxit pedes meos*. Post enumerationem vero subinfertur sententia: *Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit nullum*. Quid, fratres mei, esse dilectionem credimus, nisi ignem? et quid culpam, nisi rubiginem? Unde nunc dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit nullum*. Ac si aperte diceretur: Licendit plene peccati rubiginem, quia ardet valide per amoris ignem. Tanto

namque amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne concrematur. Ecce ea quae ad medicum venerat aegra, sanata est, sed de salute eius adhuc alii aegrotant. Nam simul discumbentes conquesti sunt, intra se dicentes: *Quis est hic qui etiam peccata dimittit?* Sed coelestis medicus aegros non despicit, quos etiam de medicamento fieri deteriores videt. Eam autem quam sanaverat, per pietatis suae sententiam confirmat, dicens: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace*. Fides etenim salvam fecit: quia hoc quod petiit, posse se accipere non dubitavit. Sed ipsam quoque spei certitudinem iam ab illo accepta, a quo per spem etiam salutem quaerebat. In pace autem ire praecipitur, ut a veritatis itinere in viam scandali ulterius non derivetur. Unde et per Zachariam dicitur: *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis* (Luc. 1, 79). Tunc enim gressus nostros in viam pacis dirigimus, quando per illud actionum iter pergitur, in quo ab auctoris nostri gratia non discordamus.

2472 Haec, fratres charissimi, historica expositione transcurramus: nunc vero, si placet, ea quae dicta sunt, mystico intellectu disseramus. Quem namque pharisaeus de falsa iustitia praesumens, nisi iudaicum populum: quem peccatrix mulier, sed ad vestigia Domini veniens et plorans, nisi conversam gentilitatem designat? Quae cum alabastro venit, unguentum fudit, retro secus pedes Domini stetit, lacrymis pedes rigavit, capillis tersit, eosdemque quos infundebat et tergebatur, pedes osculari non desit. Nos ergo, nos illa mulier expressit, si toto corde ad Dominum post peccata redeamus, si eius poenitentiae luctus imitemur. Quid namque unguento, nisi bonae odor opinionis exprimitur? Unde et Paulus dicit: *Christi bonus odor su-*

mus Deo in omni loco (II Cor. II, 15). Si igitur recta opera agimus, quibus opinionis bonae odore Ecclesiam respergamus, quid in Domini corpore nisi unguentum fundimus? Sed secus pedes Iesu mulier stetit. Contra pedes enim Domini stetimus, cum in peccatis positi, eius itineribus retinebamur. Sed si ad veram poenitentiam post peccata convertimur, iam retro secus pedes stamus: quia eius vestigia sequimur, quem impugnabamus. Lacrymis mulier pedes eius rigat. Quod nos quoque veraciter agimus, si quibuslibet ultimis membris Domini per compassionis affectum inclinamur, si sanctis eius in tribulatione compatimur, si eorum tristitiam nostram putamus. Capillis mulier pedes quos rigaverat, tersit. Capilli quippe superfluent corpori. Et quid abundans terrena substantia, nisi capillorum speciem tenet? Quae dum ad usum necessitatis superfluit, etiam abscissa non sentit. Capillis ergo pedes Domini tergitur, quando sanctis eius, quibus ex charitate compatimur, etiam ex his quae nobis superfluent, miseremur: quatenus sic mens per compassionem doleat, ut etiam larga manus affectum doloris ostendat. Rigat namque lacrymis Redemptoris pedes, sed capillis suis non tergit, qui utcumque proximorum dolori compatitur, sed tamen eis ex his, quae sibi superfluent, non miseretur. Plorat et non tergit, qui verba quidem doloris tribuit, sed non ministrando quae desunt, vim doloris minime abscedit. Osculatur mulier pedes quos tergit. Quod nos quoque plene agimus, si studiose diligimus quos ex largitate continemus, ne gravis nobis sit necessitas proximi, ne ipsa nobis eius indigentia quae sustentatur, fiat onerosa: et cum manus necessaria tribuit, animus a dilectione torpescat.

2473 Potest quoque per pedes ipsum mysterium incarnationis eius intelligi, quo divinitas terram tetigit, quia carnem sumpsit. *Verbum enim caro factum est, et habitavit in nobis* (IOANN. I, 14). Osculatur ergo Redemptoris pedes, quod mysterium incarnationis eius ex toto corde diligimus. Unguento pedes unguimus, cum ipsam humanitatis eius potentiam sacri eloquii bona opinione praedicamus. Sed hoc pharisaeus videt, et invidet: quia cum iudaicus populus gentilitatem Deum praedicare conspiciat, sua apud se malitia tescit. Sed Redemptor noster facta eiusdem mulieris quasi bona gentilitatis enumerat, ut in quo malo iudaicus populus iaceat, agnoscat. Nam sic pharisaeus retunditur, ut per eum, sicut diximus, perfidus ille populus ostendatur. *Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: haec autem lacrymis rigavit pedes meos*. Aqua quippe extra nos est, lacrymarum humor intra nos: quia videlicet infidelis ille populus nec ea quae extra se erant, unquam pro Domino tribuit: conversa autem gentilitas pro eo non solum rerum substantiam, sed etiam sanguinem fudit. *Osculum mihi non dedisti: haec autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos*. Osculum quippe dilectionis est signum. Et infidelis ille populus Deo osculum non dedit: quia ex charitate eum amare noluit, cui ex timore servivit. Vocata autem gentilitas Redemptoris sui vestigia osculari non cessat: quia in eius amore continuo suspirat. Unde et sponsae voce de eodem Redemptore sui in Canticis canticorum dicitur: *Osculetur me osculo oris sui* (CANT. I, 1). Osculum recte Conditoris sui desiderat, quae se ei obsequi per amorem parat. *Oleo caput meum non unxisti*. Si pedes Domini mysterium incarnationis eius accipimus, congrue per caput illius ipsa divinitas designatur. Unde per Paulum dicitur: *Caput Christi*

Deus (I COR. XI, 3). In Deo quippe, et non in se quasi in homine, credere Iudaicus populus fatebatur. Sed pharisaeo dicitur: *Oleo caput meum non unxisti*: quia ipsam quoque divinitatis eius potentiam, in qua se Iudaicus populus credere spondit, digna laude praedicare neglexit. *Haec autem unguento unxit pedes meos*: quia dum incarnationis eius mysterium gentilitas credidit, summa laude etiam eius ima praedicavit. Sed iam Redemptor noster enumerata bona concludit, cum per sententiam subdit: *Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Ac si aperte dicat: Et si durum est valde quod coquitur, abundat tamen amoris ignis, quo etiam dura consumantur.

2474

Libet inter haec considerationem tantae pietatis intueri. Peccatrici mulieris opera, sed poenitentis, qua aestimatione Veritas apud se servat, quae eius adversario sub tanta distributione enumerat. Ad pharisaei prandium Dominus discumbat, sed apud poenitentem mulierem mentis epulis delectabatur. Apud pharisaeum Veritas pascabatur foris, apud peccatricem mulierem, sed tamen conversam, pascabatur intus. Unde et ei sancta Ecclesia, quem sub specie hinnuli cervorum quaerit, in Canticis canticorum dicit: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie* (CANT. I, 6). Cervorum quippe hinnulus Dominus appellatur, iuxta assumptam carnem antiquorum Filii patrum. Ferventior vero in meridie aestus ardescit, et umbrosus locum hinnulus quaerit, quem aestus igne non afficit. In illis ergo cordibus Dominus requiescit, quae amor praesentis saeculi non incendit, quae carnis desideria non exurunt, quae incensa suis anxietatibus in huius mundi concupiscentiis non arescunt. Unde et Mariae dicitur: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus*

Allissimi obumbrabit tibi (LUC. I, 35). Umbrosa ergo loca in meridie ad pascendum hinnulus quaerit: quia talibus mentibus Dominus pascitur, quam per respectum gratiae temperatae, corpora libus desiderii non uruntur. Plus ergo poenitens mulier pascabatur intus, quam pharisaeus Dominum pascabatur foris, quia ab aestu carnalium quasi hinnulus Redemptor noster ad illius mentem fugerat, quam post vitiorum ignem poenitentiae umbra temperabat.

2475

Pensemus quantae pietatis fuerit, peccatricem mulierem non solum ad se admittere, sed ei etiam ad tangendum pedes praebere. Consideremus gratiam misericordiae Dei, et damnemus multitudinem reatus nostri. Ecce peccatores videt et sustinet, resistentes tolerat, et tamen quotidie per Evangelium clementer vocat. Confessionem nostram ex puro corde desiderat, et cuncta quae deliquimus, relaxavit. Temperavit nobis districtiorem legis misericordia Redemptoris. In illa quippe scriptum est: *Si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur. Si quis haec vel illa fecerit, lapidibus obruatur* (EXOD. XIX, 12). Apparuit Conditor et Redemptor noster in carne, confessioni peccatorum non poenam, sed vitam promittit: mulierem sua vulnera confitentem suscipit, et sanam dimittit. Inflexit ergo ad misericordiam duritiam legis: quia quos iuste illa damnat, ipse misericorditer liberat. Unde bene quoque in lege scriptum est: *quia manus Moysi erant graves: sumentes ergo lapidem, posuerunt subter in quo sedit: Aaron autem et Hur sustentabant manus eius* (EXOD. XVII, 12). Moyses quippe sedit in lapide, cum lex requievit in Ecclesia. Sed haec eadem lex manus graves habuit: quia peccantes quosque non misericorditer pertulit, sed severa discriptione percussit. Aaron vero mons fortitudinis, Hur autem ignis interpretatur. Quem

itaque mons iste fortitudinis signat, nisi Redemptorem nostrum, de quo per Prophetam dicitur: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium?* (Is. II, 2). Aut quis per ignem, nisi Spiritus sanctus figuratur, de quo idem Redemptor dicit: *Ignem veni mittere in terram?* (LUC. XII, 49). Aaron ergo et Hur graves manus Moysi sustinent, atque sustentando leviores reddunt: quia Mediator Dei et hominum cum igne sancti Spiritus veniens, mandata legis gravia, quae dum carnaliter tenerentur, portari non poterant, tolerabilia nobis per spiritalem intelligentiam ostendit. Quasi enim manus Moysi leves reddidit: quia pondus mandatorum legis ad virtutem confessionis retorsit. Hanc nobis sequentibus misericordiae promissionem innuit, cum per Prophetam dicit: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (EZECH. XXXIII, 11). Hinc iterum sub Iudaeae specie unicuique peccatrici animae dicitur: *Si dereliquerit vir uxorem suam, et illa recedens duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eam ultra? numquid non polluta et contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: veruntamen revertere ad me, dicit Dominus* (IER. III, 1). Ecce paradigma turpis mulieris dedit. Ostendit quod post turpitudinem recipi non possit. Sed hoc ipsum paradigma quod protulit, per misericordiam vincit, cum dicit fornicantem mulierem recipi nequaquam posse, et tamen ipse fornicantem animam ut recipiat expectat. Pensate, fratres, pondus tantae pietatis. Dicit quod fieri non potest, et demonstrat quia hoc ipse facere etiam contra morem potest. Ecce vocat, et quos inquinatos denunciavit, hos etiam amplecti quaerit, a quibus desertum esse se queritur. Nemo ergo tantae misericordiae tempus perdat, nemo oblata remedia divinae pietatis abiiciat. Ecce

superna benignitas aversos nos revocat, et nobis revertentibus suae clementiae sinum parat. Unusquisque ergo penset quo debito constringitur, quando illum Deus expectat, nec contemptum exasperatur. Qui ergo permanere noluit, redeat: qui stare contempsit, saltem post lapsum surgat. Quanto nos amore Conditor noster expectat, insinuat, cum per Prophetam dicit: *Attendi et auscullavi; meno quod bonum est loquitur: non est qui recogitet in corde suo et dicat: Quid feci?* (IER. VII, 6). Certe numquam cogitare mala debuitus. Sed quia cogitare recta nolimus, ecce adhuc sustinet, ut recogitemus. Videte tantae pietatis sinum, considerate apertum vobis misericordiae gremium: quos male cogitantes perdidit, bene recogitantes quaerit. Ad vos ergo, fratres charissimi, ad vos oculos mentis reduceite, et poenitentem peccatricem mulierem in exemplum vobis imitationis anteferte: quaeque vos in adolescentia, quaeque in iuventute deliquisse meministis, deflete; morum operumque maculas lacrymis terгите. Amemus iam Redemptoris nostri vestigia, quae peccando contempsimus. Ecce, ut diximus, ad recipiendos nos supernae pietatis sinus aperitur, nec maculosa in nobis vita contemnitur. Per hoc quod iniquationem nostram perhorrescimus, internae iam munditiae concordamus. Revertentes nos Dominus clementer amplectitur: quia peccatorum vita ei esse indigna iam non potest, quae fleibus lavatur in Christo Iesu Domino nostro: qui vivit et regnat cum Patre Deus in unitate Spiritus sancti, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENENSIS, VOL. II, SERM. 36)

SECUNDUS vero fractus dicitur est multitudo, scilicet, meritorium Passionis Christi; et hoc respectu illius qui est caput, ac per consequens

2476

respectu omnium electorum, ac membrorum eius. Et de hoc Dan. subdit, dicens: *Fructus eius nimius, quia infinitum fuit meritum, et praemium Passionis eius, scilicet, ratione coniunctae divinitatis; nam inquantum homo, sicut ex praecedentibus patet, Christus mereri poterat, et meruit; inquantum vero Deus, infinitum suum meritum, et praemium dilatavit. Merito ergo Dan. ait: Et fructus eius nimius.*

2477 Quatuor enim fructiferae, et maximas utilitates ex Passione sua Christus adeptus est, quae omnes redundant per gratiam, et gloriam in omnes electos suos. Prima est resurrectio; secunda est ascensio; tertia est consessio; quarta iudicatio.

2478 Prima quidem utilitas est resurrectio, unde Propheta in persona Filii ad Patrem ait, Psal. cxxxviii: *Tu cognovisti, scilicet, per approbationem, sessionem meam, hoc est, humilitatem passionis meae, et resurrectionem meam.* Hanc quoque utilitatem per consequens adeptus est Christus omnibus membris suis; nam, sicut ipse resurrexit propter meritum passionis, sic et eius membra resurgent; quia resurrectio eius erit causa resurrectionis omnium electorum: unde Propheta ait, Psal. xxvii: *Ad vesperam demorabitur fetus, et ad matutinum lactitia.* Ubi Glossa ait: Dominus mane resurrexit, idem nobis promittens per suam resurrectionem quae est causa efficiens resurrectionis nostrae et animae, et corporis.

2479 Secunda quidem utilitas est ascensio, unde ad Ephes. iv, Apost. ait: *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia descendit primum in inferiores partes terrae?* scilicet, per mortem crucis; *qui autem descendit, ipse est, et qui ascendit super omnes caelos, ut adimpleret omnia;* et August. in sermone de ascensione Domini, ait: Nos Christi mors vivificavit, nos Christi resurrectio erexit, nos Christi ascensio consecravit. Hanc quoque utilitatem Christus, tanquam caput, membris suis electis adeptus est: unde Ioann. xiv ipse ait: *Vado vobis parare locum.*

2480 Tertia vero utilitas est consessio, scilicet, ad dexteram Patris, ad manifestationem divinitatis illius, unde ad Philipp. ii, Apost. ait: *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut, scilicet, ab hominibus nominetur Deus, et omnes illum venerentur, atque honorent; tanquam Deum in nomine Iesu, unde subditur: Ut in nomine Iesu omni genuflectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria Dei Patris.*

2481 Dicitur autem sedere Christus ad dexteram Dei, quia laboravit, scilicet, in tota vita sua usque

ad mortem; unde Psal. lxxxviii: *In laboribus sum a iuventute mea.* Ad dexteram vero, quia prius fuit in sinistra passionis, et adversitatis; unde Psalmista ait: *Afflictus sum et humiliatus sum nimis.* Dei vero dicitur, quia post crucis abiectionem, promittit Deus glorificationem; unde Matth. xxiii, Dominus ait: *Qui se humiliat exaltabitur.* Duo quidem per dexteram denotantur. Primum est aequalitas maiestatis ad quam Christus sedet secundum divinitatem, ad Hebr. vii: *Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera;* secundo per dexteram intelliguntur portoria gloriae bona in quibus Christus sedet secundum humanitatem, quoniam collatum est ei quidquid conferri potest. Nam secundum hanc dexteram collocantur et praemiabuntur omnes crucis Christi sequaces. Ad quod Apostolus hortatur, ad Coloss. iii, dicens: *Quae sursum sunt, querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens.*

2482 Quarta vero utilitas est iudicatio, quia ex passione sua data est ei potestas iudicaria. Unde Iob xxxvi, ad Christum ait: *Causa tua, quasi iniqui iudicata est, causam iudiciumque recipies;* necnon et electi imitatores crucis Christi in die iudicii, quasi iudicis assessores assistent iudici Christo, iuxta illud Matth. xix: *Amen dico vobis, quia vos, qui secuti estis me, in regeneratione, quin sederit filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Proinde exclamat Bernard. in quodam sermone dicens: O vere coelestis planta pretiosior cunctis, sanctior universis! o vere lignum vitae, quod solum dignum fuit portare salutis fructum!

2483 Tertius fructus dicitur dulcedo; nam secundum varios hominum virtuosorum status, crucis dulcedo varie sapit; unde Propheta ait: *Qui dat escam omni carni;* et ideo Dan. subdit: *Esca universorum in ea.* Omnium animarum virtuosorum status ad quadruplicem differentiam reduci possunt. Primi dici possunt sensuales; secundi rationales; tertii spirituales; quarti coelestiales. Et hi omnes variis desideris inardescunt, et tamen esca universorum in ea, scilicet, in sequela crucis Christi; unde Matth. x dicit Dominus: *Qui non accipit crucem suam, id est, passibilem sibi, et sequatur me, non est me dignus, id est, indignus est gustare gratiam, et gloriam meam.* Per hanc enim crucem assumptio difficultum denotatur, per quam funditus mortuus homo mundo, carni, et vitis, et per quam fit hoc locustum Dei. Proinde Maximus in sermone de Martyribus ait: Non solum intelligitur crux ligni patibulum, sed pia vitae virtutisque propositum; unde omnis Christiani vita, qui secundum Evan-

gelium vixerit, crux est, atque martyrium; et merito hic ordine servatur; nam sicut in fructione beatorum a quibus omne tristabile seclusum est, Deus honoratur in ipsis, et ab ipsis; et sicut in inferno, in tormentis daemonum, et damnatorum, in quibus absque illo gaudio cruciantur, Deus in ipsis penae honoratur, sed non ab ipsis; sic in praesenti vita, quae inter illas est media, honoratur, et laudatur in suis electis, et a suis electis in assumptione difficultum, dolorem, et gaudium commiscendum, per operationem perfectae virtutis, quae dicitur crux, ut sic in omnibus glorificetur Deus. Hoc siquidem servando quilibet de praedictis quatuor, secundum suum statum, in cruce reperit pastum suum, quia esca universorum in ea.

2484 Primum enim sensuales duo desideria habent, scilicet, absque peccato in arduis. Primum naturam conservare; secundo naturam alleviare. Primum enim desiderant naturam conservare, quod quidem fit quando labores homini portabiles, et leves efficitur; sed virtuosus crux propter divinum amorem assumpta, vel patienter lata, non tantum avertit ab homine labores communes in operibus bonis; sed etiam transformat in refrigerium poenas, et sic secundum primum desiderium suum in talibus conservatur natura. Et de tali refrigerio Dominus ait, Matth. xi: *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, scilicet, laboribus, et adversis; et ego reficiam vos.* De secundo etiam addit, dicens: *Tollite iugum meum super vos, quod est charitatis amor in onere crucis; et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris; iugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Iugum enim Christi suave est amor Dei; onus vero leve est amor proximi, quae duo faciunt ferre leviter crucem laborem, et adversitatis; et sic ex amore, et per amorem pressa natura laboribus alleviatur. Pro utroque desiderio patet exemplum in beato Laurentio; hoc autem contigit ei, quod dilectio ignis coelestialis qui est amor, annihilabat poenam ignis materialis. Hoc idem contigit beato Francisco quando ferro ignito in temporibus decoctus est. Absque hac cruce culpa, et poena, seu in transgressione, et afflictione homo efficitur infernalis; ideo Matth. xvi, Dominus ait: *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, scilicet, fugiendo praedictos labores, perdat eam, quasi dicat, si salvas, perdes; qui autem perdidit animam suam propter me, inveniet eam:* proinde Damasc. in 4 lib. ait: *Crux Christi clavis est Paradisi, haec infirmorum baculus, pastorum virga, convertentium manu ductio, proficientium perfectio, animae salus et corporis, omnium malorum aversio, omnium bonorum datrix.*

2485 Secundi sunt rationales; et hi quoque alia duo desideria habent. Primum est augmentare consolationem, seu delectationem; secundum est illuminare rationem. Per primum meritoria delectatio gustatur; per secundum vero intellectus illuminatur. Sed amorosa crux, et in amore, ut sic dicam, portatus labor continue parit in homine diversas, ac supernas et spirituales consolationes transformando amantem in amatum, et quasi ad coelestem delectationem exaltando; peccator non per hoc admirandis, et saluberrimis lumbibus illustrando; unde Propheta ait, Psal. xxxiii: *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus, scilicet, in imitatione crucis illius: Beatus vir, qui sperat in eo.* Primum vero inquit, *Gustate, scilicet, affectu; secundo aut, videte, scilicet, intellectu; quia gustatio facit videre;* unde Prov. ult. *Gustate, et videt, quoniam bona est negotiatio eius, id est, exercitatio crucis, et arduum virtutum;* unde I Reg. xiv Ionathas mystice ait: *Vidistis ipsi quod illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim de melle isto, id est, de cruce, atque virtutum suavitate.*

2486 Quanta autem sit suavis, quam gustat, et experitur anima de cruce, id est, de laboribus amorose portatis, atque per Christo assumptis, ostendit Ioann. Apocal. ii, ubi Dominus ait: *Vidistis quod dabo manna absconditum;* absconditum enim manna dicit suavitatem virtuosae vitae intelligentiam, propter virtutum experientiam iustus a Domino dispensatam, atque indignis et vitiosis occultatam. Sic enim manna desuper veniens omnem suavitatis saporis in se continebat; sic suavis experientia bonae vitae quae est crux Christi, omni mentis suavitatem redundat; unde Gregor. in quadam homil. ait: Nihil adeo grave, quod non acquanimitur tolleretur, si Christi passio ad memoriam revocetur, scilicet, per devotionem, vel imitationem. Quanta insuper fiat illuminatio intellectus ex praedicta cruce, ostendit Bernard. super Cant. serm. lxxi dicens: *Quid ita efficacis ad curandum conscientiae vulnera, necnon ad purgandum aciem mentis, quam Christi viderunt sedula meditatio? Proinde Christi passio figurata est felle, quo oculi Tobiae fuerunt illuminati (Toa. ii). Est quoque collyrium, de quo Apocal. iii Angelus ait: *Unge collyrio oculos tuos, scilicet, mentales, ut videas.* Absque enim praedicta cruce, humana ratio [facile] devenit in fantasticam, obscuram, atque bestialem aestimationem, et opinionem. Et de talibus Propheta ait, Psal. lxxxviii: *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulavit.* Ait enim nescierunt, scilicet, ex corrupta natura; neque intellexerunt, ex patrata culpa: in tenebris ambulavit, ex multiplicata malitia; et omnia haec, quia crucem Christi non sunt secuti.*

2487 Tertii sunt spirituales; et hi quoque alia duo habent desideria, scilicet, in eis. Primo virtutem roborari; secundo virtutem praemiari.

2488 Primo virtutem roborari, scilicet, in vitae iustae soliditate, et stabilitate, quod quidem per crucem fit, teste Apostolo, qui ait, II Timoth. II: *Firmum fundamentum Dei, quod est virtus, stat habens signaculum, scilicet, sanctissimae crucis, quia virtus in infirmitate perficitur, sicut idem Apostolus ait, II ad Corin. XII. Et statim subdit: Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi, propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Quoniam enim infirmor, tunc fortior sum; ecce virtus, roboratio et confirmatio.*

2489 Secundo desiderant virtutem praemiari, scilicet, per gloriam sempiternam; et talis virtus amorosae crucis influit in habitum perfectae charitatis meriti copiosum ad copiosum praemium gloriae expectandum; unde praemium aeterni regni non mensuratur secundum spirituales fervores, ac mentales delectationes, sed secundum pocnam amorosae crucis quae principium est, et medium gloriosi finis. Proinde Matth. X, Dominus ait: *Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus, id est, meo praemio, scilicet, in gloria sempiterna; nec ait tantum, qui sequitur me, scilicet, per delectationem, sed praemisit, qui non accipit crucem suam; nam in crucis assumptione, Deus delectatur in nobis; in delectationibus spiritualibus nos in Deo delectatur; per primum crescit praemium et meritum; per secundum contemnimus mundum, et sequimur Deum, quia gustato spiritu, desipit omnis caro. Absque cruce, et laborioso conatu in operibus virtuosus, nostra meritoria virtus devenit in inconsiderabilem debilitatem, sicut patet in his, qui absque magnis laboribus adepti sunt bona sublimiora; quod contingit in Lucifero, in Adam, et Eva, Salomone, et Petro, et quampluribus aliis, qui cito ceciderunt a donis, et in magnam ruinam irrevocabiliter quidam eorum prolapsi sunt.*

2490 Quarti dicuntur coelestiales; et hi quoque dupliciter desiderium habent. Primum in eis glorificari gratiam; secundum magnificari divinam gloriam.

2491 Primo quidem glorificari in se gratiam, scilicet, in praesenti per gloriae participationem, et hoc fit per crucem, et Domini passionem, exemplo Apostoli, qui de se, atque aliis perfectis, Philipp. III, ait: *Nostra conversatio in caelis est: in super exemplo beati Bernardi in quodam sermone, ubi ait: Scio, quod merita mea mihi non sufficiunt; quod mihi deest, audacter usurpo ex visceribus*

Iesu Christi, quae misericordia affluunt, nec desinunt foramina per quae deliquit. Patet enim arcanum cordis per foramina corporis, patet et secreta misericordiae Dei nostris, in quibus visibilis nos oriens ex alto.

Secundo desiderant magnificari divinam gloriam; nam amor crucis ad gloriam Dei inflammat, illuminat, et roborat, et dilatat humanam mentem. Hic erat ille cruciformis amor, qui tanta fiducia cor Pauli securabat, ut diceret ad Galat. VI: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi; per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo; et ad Philipp. I, ait: Sicut semper, et nunc magnificabitur Christus in corpore meo, seu per vilam, seu per mortem. Hoc eodem fervore hortabatur omnes Propheta David, dicens, Psal. XI: Magnificite Dominum mecum, scilicet, sanctissimum amorem crucis laudando, et praedicando eum magnum. Et bene subditur, mecum; si enim diceret simpliciter, Magnificite Dominum, non ita ad hoc incitaret; ideo ait Gregor.: Loquentis auctoritas perditur, quam vox opere non iuvatur. Absque cruce, gratia meritoria, delectabilis, atque coelestialis devotio in admirabilem annihilationem, sicut per experientiam patet in his qui sequuntur spiritum amoris, spiritum libertatis, aut librum haereticum, qui dicitur, animarum simplicium, qui in erroribus suis damnatus est, (extra de haereticis, cap. unico, in clem.). Contra quos Apostolus, Philipp. III, ait: *Nunc valem et fens dico, inimicos crucis Christi, etc.; nam sicut ad Galat. V, ait: Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitis, et concupiscentis; ac omnes praedicti contraria operantur multiplicibus erroribus illis, atque delasi, sicut per experientiam in eis reperi, et probavi.**

Ex dictis in praesenti cap. patere potest, quod amor absque cruce, et crux absque amore nec ratione, nec verbo, nec opere aliquam meretur laudem; sed in summo laudabilis illa crux quam induit amor, et amor quem ipsa crux parit. In hoc quidem statu erat Paulus, quem ad Galat. II de se dicebat: *Christo confixus sum cruce; et in tali cruce primo affigitur eorum clavus timoris; unde Psal. CXVIII: Confite timore tuo carnes meas; secundo clavus spiritus amoris, Cant. V: Falcite me floribus, stipate me malis; quia amore langueo; tertio sensus exterior clavus rigoris, et disciplinae, Eccl. ult.: Verba sapientium, quasi stimuli, et quasi clavi in altum, id est, in profundo sensus defixi; quarto manus operum clavus laboris. Eccles. IX: Quodcumque potest manus tua, instanter operare. Ex supradictis clarius potest patere quod manifeste ostenditur se non vere diligere, qui pro amato non vult se ad quaecumque diffi-*

culia praeparare, et exhibere; quod est contra errorem simplicium animarum, quae crucem et laborem abhorrent sicut praedictum est.

FERIA SEXTA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.

IOANN. XI, 47-54.

2492 In illo tempore: Collegerunt pontifices et pharisaei concilium adversus Iesum, et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?

48. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; et venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem.

49. Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam,

50. nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.

51. Hoc autem a semetipso non dixit; sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Iesus mortuus erat pro gente,

52. et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.

53. Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum.

54. Iesus ergo iam non in palam ambulabat apud Iudaeos, sed abiit in regionem iuxta desertum, in civitatem quae dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis.

Homilia S. Augustini Episcopi.

IN EVANG. IOANN. TRACT. 49.

2494 **C**OLLEGERUNT pontifices et pharisaei concilium et dicebant: Quid facimus. Nec tamen dicebant: Credamus. Plus enim perditii homines cogitabant, quomodo nocere ut perderent, quam quomodo sibi consulere ne perirent: et tamen timebant et quasi consulebant. Dicebant enim: Quid facimus? Quia hic homo multa signa facit: si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem. Temporalia perdere timeverunt, et vitam aeternam non cogitaverunt, ac sic utrumque amiserunt. Nam et Romani post Domini passionem et glorificationem tulerunt eis et locum et gentem, expugnando et transferendo; et illud eos sequitur quod alibi dictum est: *Filii autem regni huius ibunt in tenebras exteriores* (MATTH.

viii, 12.). Hoc autem timeverunt, ne si omnes in Christum crederent, nemo remaneret qui adversus Romanos civitatem Dei templumque defenderet: quoniam contra ipsum templum et contra suas paternas leges doctrinam Christi esse sentiebant.

2495 *Unus autem ex ipsis Caiphas, cum esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit* (IOANN. XI, 49 ss.). Hic docemur etiam per homines malos prophetiae Spiritum futura praedicere: quod tamen Evangelista divino tribuit sacramento, quia pontifex fuit, id est, summus sacerdos. Potest autem movere, quomodo dicatur pontifex anni illius, cum Deus unum constituerit summum sacerdotem, cui mortuo unus succederet. Sed intelligendum est, per ambiciones et contentiones inter Iudaeos postea constitutum ut plures essent, et per annos singulos vicibus ministrarent. Nam et de Zacharia hoc dicitur: *Factum est autem cum sacerdotio fuisset in ordine vicis suae ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret, ingressus in templum Domini* (Luc. I, 8). Hinc apparet plures eos fuisse, et vices suas habuisse; nam incensum non licebat ponere nisi summo sacerdoti (Exod. xxx, 7). Et forte etiam unum annum plures administrabant, quibus alio anno alii succedebant, ex quibus sorte exibat quis, ut incensum poneret. Quid est ergo quod prophetavit Caiphas? *Quia Iesus mortuus erat pro gente: et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum.* Hoc Evangelista addidit: nam Caiphas de sola gente Iudaeorum prophetavit, in qua erant oves, de quibus ait ipse Dominus:

Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel (MATTH. XV, 24). Sed noverat Evangelista esse alias oves, quae non erant de hoc ovili, quas oportebat adduci, ut esset unum ovili et unus pastor (IOANN. X, 16). Haec autem secundum praedestinationem dicta sunt: nam neque oves eius, nec filii Dei adhuc erant, qui nondum crederant.

2496 *Ab illo ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum. Iesus ergo iam non palam ambulabat apud Iudaeos, sed abiit in regionem iuxta desertum, in civitatem quae dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis (IOANN. XI, 53, 54).* Non quia potentia eius defecerat, in qua utique si vellet, et palam Iudaeis conversaretur, et nihil ei facerent; sed in hominis infirmitate vivendi exemplum discipulis demonstrabat, in quo appareret non esse peccatum, si fideles eius, qui sunt membra eius, oculis persequentium se subtraherent, et furorem sceleratorum latendo potius devitarent, quam se offerendo magis accenderent.

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENENSIS, VOL. II, SERM. 36).

2497 **A**LI tres fructus crucis Christi. — Primus fructus dicitur sanctitudo. Sanctus enim dicitur sanguine tinctus, unde Dan. subdit: *Et subter eam habitabant animalia, et bestiae, id est, omnes in baptismo crucis signaculo insigniti, et sanguine tincti.* Item differt bestia ab animali; nam bestia est crudelis, animal vero non. Animalia dici possunt omnes iusti qui finaliter salvandi sunt, sicut de gloria sempiterna Propheta ad Dominum ait, Psalm. LXXIX dicens: *Animalia tua habitabant in ea, parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.* Per bestias, quae sunt crudeles, Christiani reprobi designantur, et etiam infideles; quia, sicut statim subditur, diabolus in eis post Passionem Christi non habet tantam potestatem sicut ante; principalis tamen omnes Christiani sub umbra, et protectione crucis, et sanguinis Christi inhabitant.

2498 Unde brachia crucis sunt scapulae illae, de

quibus Propheta ad Christianum populum inquit, dicens Psalm. XC: *Scapulis suis obumbrabit tibi.* Sub his etiam scapulis secundum Bernard. quatuor beneficia nobis conferuntur; sub his enim aliis absconditur; sub his ab incurso milivorum, et accipitrum protegitur, quae sunt aerae potestates; sub his umbraculum salubre nos refrigerat, et nimium solis ardorem repellit; sub his quoque alimur, et fovemur. Haec sunt Beat. Bernard. verba super Cant. serm. LXX, in quibus notare possumus quatuor beneficia quae nobis conferuntur mysterio crucis. Primum est abscondio; secundum protectio; tertium refrigeratio; quartum refectio nuncupatur; quae omnia perficit in nobis amor crucis, et perfectio eius.

Primum crucis beneficium est abscondio, scilicet, a malitiis mundi. Talis quidem abscondio maxime nobis fit, quando adversa nos premunt, ut ea magnanimiter toleremus; unde Isidorus de summo bono ait: Si passio Redemptoris Domini ad memoriam reduciatur, nihil tam durum est, quod non aequo animo toleretur. Parva enim toleramus, si recordemur quid biberit ad crucis patibulum, qui nos invitat ad coelum. Ille enim irrisiones, opprobria, contumelias, alapas, sputa, flagella, spinam coronam, crumecque suscipit; et nos miseri ad nostram confusionem uno sermone fatigamur, uno verbo delictum. Et iterum de toleranda iniuria proximorum, Augustin. de verbis Domini, ait: Nulla res efficacior ad laborem, et ad portanda onera aliorum, facit libenter impendi, nisi, quum cogitamus quanta pro nobis pertulit Dominus; unde sicut parvus fluvius perdit nomen suum quum vadit in magnum; sic labores et passionem nostrae in comparatione illorum quae passus est Christus, non sunt passiones denominandae.

Secundum beneficium est protectio, scilicet, contra potestatem diaboli, quia Christus illam per passionem suam debilitavit; unde Iob XI: *Quasi hamo capiet Leviathan, quia caro Christi velans divinitatem, fuit quasi esca in hamo divinitatis, quam quum diabolus per mortem apprehendere procuravit, hamo divinitatis captus, et deceptus fuit.*

Triplex tamen, secundum Alexander de Ales in v, per crucem Christi daemones habent minorem potestatem in naturam humanam. Et primo universaliter, quia abstracta est eis potestas, quae sibi prius subiciebant eam in infidelibus sibi idololatria, et veneratione, quasi Deus; nec etiam reperitur in mundo tot vexati a spiritibus immundis, sicut ante passionem Domini, ut patet experientia certa per universum orbem terrarum. Secundo singulariter in fidelibus in quibus per fidem passionis non habent potestatem, nisi quan-

tum est eis permissum ad virtutis exercitium, sicut patet in Beato Antonio, in Beato Francisco. Tertio particulariter in electis, in quibus est character passionis, id est, crux ex Sacramento baptismatis, quo potestas diaboli cohibetur: unde Apocal. VII dictum est quatuor Angelis: *Nolite nocere, etc., quoadusque signemus arcus Dei nostri in frontibus eorum;* et de hoc Augustin. super Ioann. ait: Signum crucis a nobis expellit exterminatorem, si tamen cor nostrum habeat Christum inhabitatorem; proinde Exod. XII: *Dei populo, id est, Christianis, mystice praeceptum est, quod sanguine agni postes, et superliminare signent;* atque ex hoc duplicem consequebantur fructum, scilicet, consternationem hostium exteriorum, et defensionem, et conservationem omnium interiorum; ut mystice innuatur quod virtute sanguinis Iesu Christi et daemones superantur, et omnia defenduntur, dum gratiae a nobis argentur et conservantur; superliminare quoque signatur, dum mentis imago Christi crucifixo assimilatur, atque uterque postis intingitur, in quo voluitur ostium, dum divina et angelica custodia, in qua vita nostra defenditur, vigoratur, eo quod sanctae crucis virtute et Deus nobis magis propitius, et Angelus circa nos magis est sollicitus; et sic, subversis Aegyptiis, a servitute diaboli liberantur crucis Christi sequentes trophaeum, qui nobis per virgam hanc divisit mare rubrum, et in terram viventium introduxit.

2500 Merito ergo terretur diabolus homine crucis se signo munitente fideliter, sicut terretur et fugit canis baculo elevato, eo quod cum illo semel percussus est; unde Isaias xxx: *A voce Domini pavebit Assur virga percussus;* Assur enim negotiator interpretatur, et significat diabolum, qui circiendi et quaerens quem devoret, nunquam otio vacat; hinc in signo crucis fideliter invocato in nomine sanctissimae Trinitatis terribiliter pavet, virga crucis in Passione percussus. Insuper sicut miles superatus in duello, seu in bello, confunditur morari in camera, vel in domo, in qua prostratus sua depicta esset, nec ibidem diu maneret; sic diabolus prostratus per Dominicam passionem nullo modo morari potest in anima, in qua Passio Domini per devotionem, et ingen memoriam depicta est.

2503 Tertium beneficium est refrigeratio, scilicet, a concupiscentia carnis; unde Hieronym. in quadam epist. ait: Si ingressi fuerint ad te latrunculi per oculos, per aspectum crucis puni eos. Ipsa concupiscentia originalis virtute Sanguinis Christi in cuius virtute quilibet baptizatur, licet non totaliter auferatur, tamen multum minuitur. *De consecr. distinct. IV per baptismum.* Ex quo patet quod

secundum Aug. fusus est sanguinis medici, et factum est medicamentum phreneticis; proinde Cant. II: *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi, anima sponsa Christi, et spiritus eius dulcis gutturi meo;* sed et gustato fructu crucis, desipit omnis caro.

2504 Quartum beneficium est refectio spiritualis. Magna quidem consolatio, atque refectio est animabus devotis ascendere ad senium crucis; unde Coelestinus ait: Cum sancto, id est, cum sanguine tincto, Sancti, id est, sanguine tincti, sunt qui crucifixo cruci affixi sunt, dolori eius consolentes, amori eius congaudentes, sanguinem eius bibentes, carnem manducantes, crucem amplectentes, vulnera lingentes, et per latus lancea apertum ad eius superdilectissimum cor intrantes, atque sic de clavo aeterni amoris inseparabiliter conclavantes. Bernard. super Cantic. serm. XX ait: Dilexit me Deus dulciter, sapienter, et fortiter. Dulciter nepe dicitur, quia carnem induit; sapienter, quia culpam vitavit; fortiter, quia mortem sustinuit. Sed super omnia reddidit te amabilem mihi, bone Iesu, calix quem bibisti, quoque nostrae redemptionis; hoc enim omnino amorem nostrum vendicavit sibi; hoc inquam, sibi nostram devotionem blandius allicit, iustus erigit, arcibus stringit, et venemius afficit.

2505 In horum quidem mysterium Christus sex vicibus vivus, et una mortuus sanguinem suum fudit. Primo in circumcissione, ut discamus peccata nostra carnalia mundare; secundo in sudore, ut discamus angustias pro nostra salute tolerare; tertio in coronatione, ut discamus mentem nostram virtutibus exornare; quarto in flagellatione, ut discamus domare sensualitatem nostram; quinto in crucifixione, ut discamus membra nostra ligare mandatis Dei; sexto in lateris apertione, ut discamus semper habere cor vulneratum in Dei amore, ut dicere possit quilibet nostrum: vulnerata caritate ego sum.

2506 Praeterea dicere possumus Christum passum et crucifixum, esse horologium religiosorum, distinguens horas diei, et noctis; quod quidem in horologio, Achaia IV Reg. XX, mystice designatur; in quo sol descendit decem leuis, quae per decem horas humilitatis est Christus pro nobis in sua sanctissima Passione; in cuius honore decem dicuntur horae. Primo completorium in honorem venditionis; secundo dicuntur matutinae, quae distinguuntur in tres nocturnas, in rememorationem illius iniuriae, quae facta est ei in tribus locis in illa nocte, scilicet, in orto, in domo Annae, et in domo Caiphae, conspuendo, delidendo, atque percutiendo; quinto laudes in memoriam criminis impositi in fine noctis; sexto primam in memoriam

accusationis coram Pilato; septimo tertiam in memoriam flagellationis in domo Pilati; octavo tertiam in memoriam baiulationis crucis, et crucifixionis cum ferreis clavibus; nono nonam in memoriam mortis et apertionis lateris; decimo vespertas in memoriam sepulchrae, ut in qualibet praedictarum horarum mens devota sentire possit dulcedinem Dominicæ passionis.

2507 Secundus fructus dicitur promptitudo, scilicet, ad servitium Dei; et de hoc Dan. ait: *In ramis eius conversabatur volucres coeli*, id est, virtuosus et religiosus, quorum tota vita crux merito dici posset; unde Prophetia de Domino ait ad Patrem, dicens, Ps. viii: *Omnia subiecisti sub pedibus eius, aves, id est, simplices, et boves universos*, id est, praedatos, et praedictores, *insuper et pecora campi*, id est, malos; *volucres coeli*, id est, religiosos, et *pisces maris*, id est, saeculares, qui *perambulant sentias maris*. Vocat ergo omnes virtuosos et religiosos, volucres, propter libertatem a vitis, et separationem a saecularibus curis, et propter statum elevatum a mundo. Ad Philipp. iii, ait de hoc Apost. dicens: *Nostra conversatio in caelis est*; et ibi in ramis crucis continue conversantur, qui, scilicet, quatuor dici possunt; unde inferior ramus est vita virtuosus; sinister fides religiosa; dexter charitas larga; superior vero est spes firma; infimum brachium crucis est mundi contemptus, qui in septem consistit.

2508 Primus ramus et inferior est vita virtuosus, et mundi contemptus, de quo Dominus ait, Matth. xvi, Luc. ix, Marc. viii: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me*. In quibus sanctis verbis ponuntur septem quae requiruntur ad verum amplexum virtuosum, et virtuosae crucis. Nam talis crux primo debet esse voluntaria; secundo operosa; tertio integra; quarto laboriosa; quinto propria; sexto continua; septimo recta.

2509 Primo inquam debet esse voluntaria, non violenta; propterea dicit: *Si quis vult*; unde Augustin. dicit: Nemo invitus bene agit. Neminem enim nostrum cogit Deus, ut servitium sit gratius Deo, et praemium gratius servo. La cuius mysterium Exod. xxv ad Moysen ait Dominus: *Loquere filiis Israel, ut tollant tibi primitias ab homine, quae offeri tibi ultra meum, et accipiat; vult enim Dominus talem, qui dicat ei, voluntarie sacrificabo tibi*, scilicet, meipsum, meos, et mea, sicut infra dicitur.

2510 Secundo debet esse operosa, non otiosa; ideo subdit, *Post me venire*, qui, scilicet, semper in arduis, et laboribus mentalibus, et corporalibus fuit, non ait, post mea, sicut faciunt avari, luxuriosi, et superbi; sed: *post me*, scilicet, mundum con-

tempendo; de quo, I Petr. ii: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquit exemplum, ut sequamini vestigia eius*.

2511 Tertio debet esse integra, non diminuta: propterea addit, *Abneget semetipsum*, id est, se, suos, et sua. Primo abneget se, id est, vetustatem suam abiiciat, et semetipsum excedat, ut sic ad Christum accedat; non enim quis potest accedere, seu ascendere ad Christum, nisi supra semetipsum ascendat; unde Gloss.: Nisi quis a seipso deficiat, ad Deum qui supra se est, non appropinquat; et novitatem ad quam vocatur, non apprehendet; unde ad Colossens. iii. Apostolus ait: *Expoliatis vos veterem hominem cum actibus suis et induentes novum hominem, qui renovatur in cognitionem Dei, secundum imaginem eius qui creavit eum; vel abneget se*, id est, propriam voluntatem; nam secundum Senecam: Erumpit in petulantiam male dispensata libertas; et Is. lvi: *Si glorificaveris Deum, dum non facis vias tuas, et ad Titum ii: Abnegantes impietatem, et saecularia desideria, sobrietate, et pie, et iuste vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei*. Secundo abneget suos, quod etiam in veteri lege sanctificabatur; unde Deut. xxxv: *Qui dixerit patri suo, et matri suae, nescio vos, hi custodierunt eloquium meum, et pactum meum servaverunt*. Tertio abneget sua; proinde Luc. xiv Dominus ait: *Qui non renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus*; et Matth. xix: *Si vis perfectus esse, vende et vende omnia quae habes, et habebis thesaurum in caelo, et veni, sequere me*. Sunt nempe plerique qui suos, vel sua tribuunt Deo, se autem mundo. Contra quos Propheta ait, Psal. xxxix: *Holococaustum, id est, meos, et pro peccato non postulasti, scilicet, principaliter, quod ego intelligens, hinc dicit, Ecce venio, scilicet, in persona offerens principaliter me, deinde meos, et mea*. Nec a mysterio vacat illa syllabica adiectio, qua dicitur semetipsum, quae quidem fit tum ut exprimat praedicta tria; scilicet, se, suos, et sua, tum ut exprimat omnes animae vires, et corporis, id est, suum intellectum, suum affectum, et suum sensum; hoc est, intellectum rationis, affectum voluntatis, et sensum etiam carnis. Primum fit per fidem, secundum per claritatem, tertium per spem.

2512 Quarto debet talis crux esse laboriosa, non delicata, et otiosa; proinde ait: *Tollat crucem*. Sunt enim plerique, qui sic volunt assumere poenitentiam, ut nullam sentiant afflictionem, vel poenam; contra quos Hieronym. ait: *Delicatus es, frater charissime, si hic vis gaudere cum mundo, et in futuro regnare cum Christo; nam sicut ait Apostolus ad Gra-*

lat. v: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitis, et concupiscentis*.

2513 Quinto etiam debet esse propria; ideo subdit: *Suum*, id est, sibi possibilem. Non enim dicit meam, quia totus mundus non posset portare minimam partem crucis eius, sicut ex praecedentibus patet; unde dicitur Thren. i: *O vos omnes, qui transitis super viam, id est, omnes in hoc saeculo peregrinantes, attendite, et videte, si est dolor, sicut dolor meus*; nec dicit alienam; sunt namque nonnulli, qui gloriantur de passionibus, et poenitentibus patrum suorum, quemadmodum Scribae et Pharisei: contra quos ait Dominus, Ioann. viii: *Si filii Abraham estis, opera Abraham facite*. Insuper inquit, *suum*, non in angaria, aliena, sed quam plena voluntate facit suam; proinde Bernard. ait: *Vae portantibus crucem, non sicut Christus suam, sed sicut Simon Cyrenaeus alienam*.

2514 Sexto debet esse continua, non instabilis, et momentanea; ideo dicitur: *Et sequebatur*. In Luc. etiam iv additum est *quotidie*, id est, continue, et perseveranter; unde Eccles. v: *Non ventiles in omni ventum, et ne eas in omnem viam; sic enim probatur peccator in duplici lingua. Esto firmus in via Domini*; et idem xxiii in fine iterum ait: *Gloria magna est sequi Dominum*; unde Dominus ait, Ioann. viii: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris*.

2515 Septimo et ultimo debet esse recta, non reclinata, et simulata; ideo subdit, *me*, id est, ad gloriam meam, per rectam intentionem, hoc est constituit me in finem suae crucifixae vitae, atque laborum suorum. Nam sicut ipse testatur Matth. vi: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*: oculus simplex est intentio recta ad Deum; corpus lucidum est opus recta intentione completum. In huius mysterium praecipit Dominus Deuter. xxvii dicens: *Quando transieris Iordanem, id est, contemnetis mundum, adificabitis altare Domino, id est, cor igne charitatis fervidum, de lapideis, quos ferrum non tetigit*, id est, de operibus bonis, secundum quod a Deo sunt in nobis operata, qui, ut ait Apostolus ad Philipp. ii: *Operatur in nobis velle, ut perferre pro bona voluntate, et de saxis informibus, et impolis, id est, de operibus, non pro humana apparentia levigatis*. Expressivum signum rectae intentionis est perseverantia; ideo Matth. vii Dominus ait: *A fructibus eorum cognoscetis eos*. Horum fructuum principalis perseverantia dici potest; quia teste Iacob i: *Via duplex animo, inconstans erit in omnibus viis suis*; sed, ut dicit Dominus, Matth. x: *Qui perseveraverit usque in finem, quod facit vir rectus, hic salvus erit*.

2516 Secundus ramus, et sinister, est fides religiosa; observando principaliter tria vota, obedientiam, paupertatem, et castitatem.

2517 Primo, per obedientiam humana voluntas subicitur Deo, et haec est abnegatio, et quodammodo crucifixio sui ipsius, de qua Dominus superius ait: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, sicut praedictum est*. Ad haec quoque sumendam hortatur Eccles. ult. cap. dicens: *Comparet vobis sine argento sapientiam*; et Proverb. i: *Collum vestrum subicite iugo eius*; unde Matth. xi, Dominus ait: *Tollite iugum meum super vos, quod est obedientia*. Et sequitur, sicut supra dictum fuit: *Iugum enim meum suave est, et omis meum leve*, si amoroze sumitur, et portatur; unde Bernard.: *Crederentibus nihil impossibile, nihil amantibus difficile, nihil milibus asperum, nihil humilibus arduum reperitur, quibus gratia fore auxilium, et obediendi devoto lenit imperium*. Ad haec hortatur Apostolus Hebr. xii, dicens: *Habentibus impositum iubent testum, id est, multitudinem martyrum obedientium usque ad mortem, per patientium curram ad propositum nobis certamen, quod, scilicet, prompta obedientia est*.

2518 Secundo per castitatem subicitur caro rationi, ut fiat totus illuminatus rationalis homo; et de hoc Matth. xix Dominus ait: *Sunt enuuchi qui castraverunt seipsum propter regnum colorum*. De talibus castitatem servantibus, Sap. iv cap. ait: *O quam pulchra est casta generatio, cum claritate; immortalis est enim memoria illius*. Huius castitatis tanta est suavitas, et dulcedo ut inter fructus spiritus ab Apostolo computetur, dicente ad Gal. v: *Fructus autem spiritus, castitas*.

2519 Tertio, per paupertatem corpus in omnibus corporalibus dominatur. Proinde dicitur Deut. x in mysterio populi Israeli, id est, per fidem videntibus Deum, ac per hoc contententibus mundum: *Omnis locus, quem calcaverit pes vester,vester erit; et idem Iosue i, et iterum II Cor. vi, Apostolus ait: Tanquam nihil habeatis et omnia possidentes*. Denique per experientiam patet quod fideliter viventibus in sua religione Deus in necessitatibus suis mirabiliter subministrat; et Ecclesiast. xxxix viro religioso dicitur est: *Fideliter age, et in omni tempore invenies quod est necessarium*. Laetentur ergo, et exultent vestri religiosi et timentes Deum, quia nihil deest timulentibus eum; *divites agerunt, et esuriunt; inquirentes autem Dominum non deficient omni bono*.

2520 Tertius quoque ramus, et dexter, est charitas larga, de qua I ad Timot. i cap., Apostol. ait: *Fides praecipit est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta*. De corde puro, quoad proximum; de conscientia bona, quoad seipsum; et de fide non ficta, quoad Deum. Hanc triplicem charitatem tanto praestantior, necnon et ferventior, atque precellentior religiosi habere de-